Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1646. commut. aest.

Celesta Joan: Merces laboris laurea—

MERCES LABORIS
LAVREA
QVAM
Alma Parens Academia XI.
Adoleſcentibus in prenſatione Primi in Art: & Phil: honoris.

PER

EXCELLENTISSIMVM D.

D. M. MARTINVM RADYMINSKI,
Collegam Minorem &c.

Ritu ſolenni in frequentiſsimo Illuſtrium Hoſpitum confluxu tribuit.

A


IOANNE CELESTA Crac: eiuſdem laureæ Candidato amoris & honoris ergo.

PVBLICATA

CRACOVIÆ,
Apud Lucam Kupiß, Anno Domini. 1646.

27

IN VIRTVTIS HIEROGLIPHICON.



Quid Leo proſpectas erecto vertice cælum?
Inmedioq; Crucem quid tuba clara geris?
Scire cupis, vigilat Leo, clara per æthera ſuauem
Dat Tuba concentum, Crux pietate nitet.

Iacobus Celeſta Stud: Pòés.

Per Illuſtri & Adm. Rdo. Domino

D. IVSTO SLOWIKOWSKI, S. T. & I. V. DOCTORI, Canonico, & Archipresbytero Crac: S.R.M. SECRETARIO.

Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Dni.

D. PETRI GEMBICKI, EPISC: CRACOV: &c. Cauſarum Auditori.

Auunculo & Mæcenati Colendiſſimo.

PErtinebat equidem Perilluſtris & Admod. Rde. Domine quidpiam perfectum ingenio, elaboratum induſtria, in conſpectum Tuum grauiſsimum afferri. Magnitudo enim Tuorum in Remp. literariam & Academiam noſtram meritorum digna eſt, cui non infantes qui vix primoribus labris Caſtalias attigerunt aquas, ſed ij qui cum Orpheo ſyluas, & ſaxa vocali teſtudine mouere valerent, ſua à maturo concocta iudicio fideliq́ mentis trutinâ diſcuſſa dedicarent poemata. Verumenim verò cùm Tua ſingularis humanitas in omnes æquanima ſit, tum & in me clientem, illudq́ ab officioſo recipiet, munere, vt hæc qualiacũq́ ſint, rudi licet Minerua concinnata carmina Tuo ſub patrocinio, lucem aſpiciant

ciant

ciant Tibiq́ conſecrentur. Et quoniam Perilluſtris & Admod. Reuer: Dne nec tenellos ad Tuam gratiam confugiẽtes, reijcis & mea Tuo ſub patrocinio tutâ opella conquieſcet. Id nimirum auguſtus & Heroicæ innatus virtuti animus, pollicetur atq́ præſtat, vt Te mea lucubratio (quem ſollicita literarum fouet altrix, inſtituitq́ ad ingenui laboris & contentionis felicitatem) lubens meritoq́ veneretur. Quem iam grauiſsimus in cætu Craciadum Areopagus, principem agnoſcit, iudiciorũ arbitrum æquitatis innocentiæ, iuſtitiæ, propugnatorem & vindicem quem deniq́

Docta colit Pallas, patrij comitantur honores
Iuraq; dant faſces relligioſa ſuos.

Quare ſuſcipe P. A. R. Dne quòd (vt cum Poeta loquar) paupere dat manu mea ſtudioſa volũtas, & pro ſingulari, cum in artes & Muſas Academicas, tum in omnes & me ſummiſsæ obſeruantiæ clientem affectu, minutiora hæc innatâ complectere beneuolentiâ. Viue quam longiſsimam vitam, Mecœnas ampliſsime, Academiam matrem, meq́ tuum & eius clientem fauore proſequi non dedigneris.

Perilluſtr: & Adm Rd. D.

Nepos ac Cliens humillimus

Ioannes Celeſta

Primæ laureæ Candidatus.

ELOGIVM
MATRIS ACADEMIÆ.

JBis per orbem clara ſplendeſcens tuis
Late patentem laudibus.
Mater Poloni Climatis, nutrix Sacra
Politiorum mentium,
Quæ ſola Doctos procreas nobis viros
Pubem polonam qui regant,
Nauis ſecunda Lechîcæ ſortis, decus
Et ſplendor æternus Craci.
Pulchrè renidet ipſa de cuius ſinu
Fortuna ſarmatîi ſoli.
Regalis inſignium muſarum domus
Vertex biceps Appollinis.
Diuina reges quippe Palladis decent
Proliſq; Latonæ data
Altrix iuuentæ, cælitum ſacri lares
Fons Delphici gratus chori.
Paſcis tenellas fruge menteîs molliori
Et pandis ad cælum viam.

Pomona felix fructibus fragrantibus
Repleta botris, floribus:
Flores odorem porrigent longè tui
Spargentq; semper posteris.
Aurifodina, gaza vel diues Phrigum
Parata cunctis de penu
Labore maius præmium suo dare
O prima Lechiæ schola.
Tu sola ditas optimis mentes bonis
Cælestibus mortalium.
Opes reclusas sola constantes geris
Promisq; non parca omnibus
Munus laboris iusta scis rependere
Mercedis omen prosperum.
Laudes in æuum floreant semper tuæ
Totum per orbem splendidæ.

VOTVM
D. IOANNI CANTIO.
Nomine VV. DD. CANDIDATORVM.

DIue nostrarum decus atq; præses
Magne Musarum, Pater ô colēde,
Sem-

Semper, optatum retienens laboris
Munus olympo
Regiæ cæli & rutilantis aulæ
Quo furor nullus Boreæ vel auſtri
Surgit at ſemper requies beata eſt
Incola verus
Quem parens votis veneratur alma,
Quem ſuis patrem vocat in periclis
Atq; Patronum, tibi magna ſemper
Carmina pangens,
Te colens ſemper referentis horti
Artium fructus vigilem ſtrategum
Et ducem doctæ Triuiæ cohortis
Pieridumq;
Te piâ ſupplex ſoboles fatigat
Voce quam mater recreat laboris
Laureas illi tribuendo iuſto
Munere primas
Subueni rebus Pater alme noſtris
Et corus canti veniens olympo
Præmijs noſtris faueas bonoq;
Fine corones

Excellentiſsimo & Doctiſsimo

D. IACOBO SVSKI.

Facultatis Philoſophicæ Decano.

INter minora Luna Sidera emicat,
Sol luce vincit maximá
Lunã, nec inuident tamen lunæ decorẽ
Aſtra, eſt ſuus curſus cuiq́;
Et magnitudo ſplendor atq; claritas,
Et tu micantis Cynthiæ
Inſtar coruſcans muneris magni tuis
Suski lacertis fers onus
Nõ inuidebunt aſtra ſplendorẽ hunc tibi
A ſole largitum ſuo
Ergo perenne fulgeas Lunæ decus
Noſtro labori proſperum
Mercedis omen, namq; tempus Cynthiæ
Laborioſos recreat
Et nos labori non pares licet, tui
Splendoris excitat iubar

Ex-

EXCELLENTISSIMIS
DD. EXAMINATORIBVS.

JAm iam efficaci do manus ſcientiæ,
Credo Mineruæ quid queat donum mori.
Vetans, perennis intuens laudis viros
Splendent coruſcâ qui per orbem gloriâ.
Cum matre noſtra, nominis digni pij
Florent Sacrata Matris Almæ lumina
Laudumq; primas glorioſa perferunt
Splendent decorati ſcientia viri.
Per æuiterna non tacendi tempora,
Vigent, vigebunt; nec nocebunt inuidæ
Seuera certò fila quæ nent pollice
Parcæ, trophæa tanta ſunt ſcientiæ
Et vos parentis non puſillâ gloriâ ô
Præclare Wieczorkouiorum floſcule
Inſignis ô Dabrouiorum gemmula
Siduſq; Zyskieui coruſcum nominis,
Non obruendam obliuione habebitis.
Famam, trophæa en prima dat vobis cohors,
Primæua, nomen laudibus veſtrum colens
Ergo beati ſæculum felix diu
Habete nobis omnibuſq; amabile;
Hoc mente cuncti voceq; optamus piâ

 VV.

VV. DD. CANDIDATIS.

BEata fertur & celebratur Midæ
Auri facultas præpotens
Cum dextra quid tangeret (mirum) ſua
Fuluum redirent omnia omnia.
In aurum; at orbis Lechici beatior
Exurgit Alma mentium.
Mater, iuuentæ Gaza, felix, proſpera
Auri metalla ſeminas.
Doctis referta qui beant mentes viris
Et cuncta reddunt aurea.
Mentita cedant Iappeti trucis ſana
Verè leges hic aureos.
Fructus laboris, creditus falſo aureus,
Imber pluiſſe ſit procul
Hîc hîc probata auri niteſcunt ſemina,
Pubes tenella præpeti.
Contende curſu fulua ducis lumina,
Quæ docta ſeminat cochor,
Contende velox, iuſta mercedis feres,
Tuo labori præmia.

V.D. CHRISTOPHORO MITKOWSKI Crac:

Cun-

CVnctis alũnis quanta ſortitô obtigit
Tecum mihi concordia eſt
Cingende doctis lauro amica vatibus
MITKOWIORVM phoſphoro,
Vides vt alma præparat tibi decus
Mater, laborem præmians
Tuum, Mineruæ dona ſunt & prœmia
Hæc quæ capeſſis, Palladem
Noris laboris muneratricem tui.
In arduis ſplendet iugis
Pallas, ſecundis ergo curre flatibus
Fortunæ, adeſt dux laurea
Merces laboris, omen altæ gloriæ,
Si cura tantum par erit

V. D. ANDREÆ VNIEIOWSKI.

PArentis Almæ ſi quis ardua manu
In æde nodum ſoluerit,
Non Gordianis complicatum dexteris,
Sed filiæ doctæ Iouis:
Signum triumphi lauream ſumat, caput
Ornatus vt reſplendeat.

Noſter

Noster sororum nodulos VNIEWIVS
Soluit Mineruæ prouidæ.
Dignus coroná laureisq; floridis
Parnassus affert quas Sacer,
Ergo secundá prende lauream manu,
Magnum tibi feret decus.

V. D. SIMONI RISKIEWIC.

AT o sororum cuncta doctarum cohors,
Quæ sacra Parnassi iuga
Colis, quid hoc insigne (quod tradis) notat?
Vltro tuo Riskievvio.
Quid laureis eius coronas tempora,
Ipsi sacris Apollini?
Iustum laboris reddis Alma præmium,
Tymbræus annuit Deus,
Necnon Minerua, de sua donans ei
Fætus fragrantes arbore.
Ergo beatus prende, non parvum decus
Sacræ Cohortis lauream,
Laurus virescit semper, & florens manet.
Florebis & tu, dum fauent.
Musæ, bene est, procede, flore, laurea
Virtusq; cæli dux erit.

V. D.

V D Francisco Zelowski.

QVid immerenti celſa laudantur Rhodi
Theatra voce, quid Coloſſi
In aſtra ducti prædicantur laudibus?
Iacent periclis omnia
Vexata multum improſpere frequentibus,
Caſſes locatas quæ effugit
Eſt ſola virtus euolans per ardua,
Nec tela Bellonæ timens:
Sed floridanti cincta lauro tempora
Extollit in cælum caput.
Hanc tu virenti prende cum lauro, feret
Coniuncta cum Muſis decus.

V. D. Matthiæ Kraskowski.

BOnâ ſoluta nauis exit alite
Noſtrum ferens Kraskouium,
Ne fluctuoſis verberes latus minis
Auſter memento; nigricans
Eurus rudentes ne petat, ſed proſpero
Tendat celer fauonio,
Benigniori ſorte gaudens, ſidera
Amica ſentiat ſibi.

Non parua ſecum Palladis fert munera,
Suus recepit quæ labor.
Ergo ſecundis nauiges ventis, fauet
Optata votis ſors tuis,
Sed vt profundis non preme maris fluctibus
Summo Tonanti ſupplica.

V. D. ALBERTO SVCHOVIC.

QVoquo ſororum præpeti curſu ruis
Alumne noſter ter trium,
Parum ne doctæ quod dicaſti Palladi
Nomen ſacratiore verum
Audes vigil gaudere Muſarum choro,
Cernis laboris debita
Quibus Sacrata mater ornat deditos
Viros labori, hæc te mouent
Velociori vt Delphicam paſſu petas
Laurum dicatam Apollini.
Bene eſt ſecundo prende lauream alite,
Quæ ſola vatibus datur.

V. D. VALENTINO KOZLOWIC.

HOrrida tempeſtas Borealiq; aſpera vēto,
Decuſſit hortis pāpinos arborib⁹q; co-(mas

Inuida iam dat hiems mistum vicina teporem,
Labore fess⁹ villic⁹ prata reliquit iners,
Mercedem spectans & debita præmia curæ,
Autūnus adstat termin⁹ pricipiūq; simul
Et tibi magnanimi Kozlovvic iusta laboris
Quæ docta Pallas porrigit præmia spōte re-
Illa tibi certū mōstrabūt predere finē, (fert.
Nec non Alūnū Palladis (si cupis) efficient,

V. D. CASIMIRO PLOSINSKI.

QVando repôsta Palladis cerno tibi
Laurum virentem munera,
Tecum Plosiński (sic mihi visum) cano
Parentis Almæ gloriam,
Laudesq; reddo debitas, quæ præmij
Non parca semper extitit.
Iò triumphe; non amantibus parem
Martis tulisti lauream.
Exercitatas poscit in circo manus
Minerua Pierij chori.
Curam metumq; (crede) mentium iuuat
Dulci Camæna soluere.

V. D. GREGORIO HOFFNER.

NOn me Sydoniæ color rubentis
Lanæ, non redolens odor Sabæi
Delectat nemoris, crociq; succus.
Est laurus niueo mihi vireto.
Crescens, purpurea comâ decora.
Concedit tibi docta quam Minerua,
Ergo Pieriam capesse laurum,
Laurus fausta tibi feret fauores,
Laurus Sacra feret beatitatem,
Feret gaudia, dona, faustitatem,

V. D. FELICIANO BODESTIN.

MOllis inertia, ne tantā facias precor imis
Obliuionem sensibus.
Vt taceas Bodestin dona petita laboris,
Quæ carpit à Phæbi manu.
Carpe, cape, elatos, dulces nitidosq; Corym-
Quos ipsa Pallas porrigit, (bos,
Hīc poteris dulces & amænos ducere succos.
Mentem leuare languidam

V. D.

V. D. IOANNI CELESTÆ
Cracouienſi in ordine ſecundo.

A

MARTINO LABECIOWIC
Eiuſdem laureæ Candidato honoris & fauoris ergo.

O D E

Tricolos Tetraſtrophos.

NOn ſolus referet clarus Horatius
Laudẽ pro meritis, nec liquidum æthera
Percurret reuireſcens
Lauro conſpicuus nouâ
Non ſolus capiet præmia Palladis
Doctæ, nec celebres ſolus adoreas
Muſarumue coronas
Montis Pegaſei feret
Et tu per biiugos alite præpeti
Montes tranſiliens, munera ſplendida
O CELESTA laboris
Prendes Pierij chori.
Pallas, Caſtalidum rector & arbiter
Mentis Sacra parens, inclyta Cracia

Optant atq; Penates
Ipſi hæc dona domeſtici
Ergo lauricomis cinctus adoreis
Felix docti ſonos inter (ad ardua,)
Applauſus pede curre
Voto non humili celer.

In Sceptra Academiæ.



Docta suis ponens Pallas penetralia Musis,
Iusserat ad patrias pingere Sceptra domos,
Viderat hoc Pietas, pietatis nulla subesse
Symbola delubris, quæ Sacra tecta notent.
Accessit geminumq́ sacro stephanomate Sceptrum
Iunxit, posteritas sera loquetur opus.

Michael Horn, Stud: Crac.